

& ultra XX. annos unicè in Philosophiæ perfectione consumsit, non autem propagationi Religionis suæ incubuit. Dico *Renatum Cartesium*, sepositis omnibus aliis negotiis, Philosophiam sibi unicum opus & studium constituisse. Regulares verò & Monachos Religionem simul propagandam suis studiis miscuere.

7. Num verò Romanæ-Catholicæ Religioni non addicti (horum enim objectioni nunc respondeo) cum Monachis potius & Jesuitis, quàm cum Persona Seculari, aliàs ad Romanam Ecclesiam se profitente, conversari velint, & an plus Sapientiæ & Intelligentiæ in rebus ad Religionem non spectantibus, è Claustris hauriri, quàm à Viro qui se in totius ferè Mundi Commertium immisit, expertos rerum gerendarum Viros eloqui permittimus. Certius tamen est quàm quod est certissimum, Cartesianam Philosophiam à Jesuitica, quæ aliàs Scholastica vocatur, & etiamnum ordinariè in Scholis docetur, adeo differre in quantum Religio, quæ Catholica vulgò dicitur ab Evangelica aut Reformata diversa est. (Valeant nunc hæc nomina ut cuique in sua Religione bene placeant, & unusquisque illa intelligit, quandoquidem in hoc scripto mihi non propositum est alicujus Religionem impugnare.) Porro Cartesium adolescentem studiorum suorum fundamenta & primitias apud Jesuitas posuisse, id ipsi cum multis Prædicantibus Doctisque aliis Protestantium commune est, qui pariter apud eosdem studiorum suorum initia fecerunt.

8. Quod ad Purgationem, cujus mentionem fecimus, Vulgaris Philosophiæ attinet, quâ ab ethnicis superstitionibus & idololatria purificata esse creditur, id quidem

dem